Spem habebat. Itaque paucis diebus cum argento et auro multo,
Legatos Romam misit, quibus praecepit, uti primum veteres amicos ma-
gnis muneribus expleret: deinde novos acquireret: postremo quaecunque possent,
largiendo parare, ne cunctarentur. Sed ubi Romam Legati venere, et
ex praecepto Regis hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in Sena-
tu Autoritas pollebat, magna munera misere, tanta commutatio incessit,
ut ex maxima invidia, in gratiam et favorem Nobilitatis Jugurtha veniret.
Quorum pars spe, alii praemio inducti, singulos ex Senatu ambiendo nite-
bantur, ne quid gravius in eum consuleretur. Sed Romanis quid mali
inde est creavit [Greek] haec et [Greek] atrocissimi belli
[ma]chinatiam, in quo tandem Jugurtha cum populo suo â Metello fugatus,
inque fugam versus. Habetis V. A. bellum, et cujus quidem Historiam quatu-
or Selectiores Sallustii hodie cum Paraphrasibus, Metaphrasibus,
proprio Imitationibus suis recitabunt Orationes. Volui ego eidem interpel-
lando haec praemittere, ut tanto certius inter Vos de Argumento et Oc-
casione Actus Sallustiani secundi constaret, quem praestite DEO
hodie exhibituri sumus. Prodi itaque nunc ordine florentissima Sal-
lustianorum Oratorum corona, et strenue fungere munere tuo. Nul-
la autem de Benevolentia Auditorii dubita, siquidem eam a
Prologo dudum exoratam tibi nosti. Quid est quod et ea ipsa
iam abunde et tam serena fronte appareat, ut facile tibi bene-
volam et attentam Auscultationem polliceri queas. ./.

./.

Christianus Richter.
Gorl. Lus.

./.